



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. II. Miscellaneae Praxes & Industriae ad effectus Christiformes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

Miscellanea praxes & industria ad affectus Christiformes.

§. I.

ECce tibi epulum dapsile , unde praxes varias & lectissimas quæ palato tuo sapient , arbitrato tuo feligas, ac degustes. Copiã moderatè alternante usu, nec sine delectu utentibus valebit ad varietatem , ne similitudo saturet, sed potius ipsa diversitas spiritualement gustum proritet. Nec deerunt quasi sua tragemata : sic enim appello exquisitos quosdam sensus, & praxes, quæ plus fragrare videntur suavitate quadam delicatæ devotionis , quàm fragrare vigore solidæ ac robustæ charitatis , quæque contemplando addictos, & maximè devotum foemineum sexum occupare solent magis quam viros agendi sollicitudine distentos. Talia ferè sunt pacta contenta de quibus infra, ac nonnulla capite sequenti referenda, quæ profectò
ut

ut contemnenda non sunt, quasi mentis otiosa negotiatio, imo verò magni facienda utpote flagrantissimi amoris indicia & incentiva : tamen haud tanti æstimanda sunt, ut affectus meri ipsis effectibus æquiparentur, id quod fortè cuiquam venerit in mentem, quia revelatum legerit alicui Sanctæ tantum se promeritam fuisse solo affectu, quantum si rem effecisset: Ut enim non inficiet usque adeo provehi affectum, & intentionem posse apud Deum non tam actus, quàm intentionis æstimatorem; ægrè tamen crediderim id sæpe fieri, cum exequutio difficultates superare habeat, quibus intentio & affectus ex periculi distantia audentior omninò non sufficeret. Et verò gratia cooperans necessaria ad perficiendum opus valentior est, quàm operans seu excitans, quæ ad desiderandum, petendum, volendum, ac proponendum dumtaxat conceditur. Tunc si dixeris verbo cordis ac
si pla-

426 . CHRISTIFORMITAS,
si placet oris. Mi Jesu amare te deside-
ro, quantum Angeli omnes ac Beati:
quantum beata Virgo &c. continuò
putes æquiponderare merito hunc af-
fectum tuum amoris Angelorum om-
nium &c. ? Næ parum sanus sis, si tibi
ea præsumptione adblandiaris. Hæc
præmonere monuit me talium affe-
ctuum immodica apud quosdam ja-
ctatio, adæquè ac vilipensio apud
alios, ne pretium sanctissimæ mercis
in spiritali commercio, aut crescat
nimis, aut vilescat.

§. 2.

Henicus Suso die Circumcisionis
celebrabat festo carmine sanctis-
simum Jesu nomen, ac pro Xenis of-
fererat Christo. Contigit autem of-
ferenti, ut Christus pro strenis ei no-
men mutaret, Amandum vocans.

S. Edmundus didicit ab ipso Jesu
sanctissimum nomen hoc inscribere
fronti quotidie ante somnum.

Alexander Lusagius nobilis Bri-
xiensis

xiensis quotidie mane surgens ac vespere decumbens, signabat frontem dicens: Jesus crucifixus sit in cogitationibus meis: deinde os signans dicebat: Jesus crucifixus sit in verbis meis, postremo cor signabat dicens: Jesus crucifixus sit in operibus meis. Idem aluit domi pauperem quasi Christum, eique ut famulus hero serviit.

V. servus Dei Episcopus Genevensis, identidem pronuntiabat ac scribebat vernaculè *Vive Iesus*. Idem nomen Polonis est bellica invocatio: esto & tibi contra dæmōnes, & in tentationum vel quovis alio discrimine.

Petrus Faber primogenitus Patriarchæ nostri S. Ignatii, vir solertissimæ devotionis decies præmittere solebat singulis horis canonicis, nomina sacrosancta JESU & MARIE totidem ad fines diversos. Idem consulenti de modo meditandi & super mediis ad salutem author fuit, ut sæpius hæc paucula mente versaret. Christus est pauper, ego divitias quero. Jesus

esurit , ego satur esse volo. Jesus in cruce nudus , ego mollibus vestiri amo. Jesus tristis in laboribus , & in tormentis, ego hilaris & in delitiis.

S. Franciscus Xaverius singulis mensibus Christi vitam ac mortem meditando percurrebat. De eodem audi Paulum à Valle sic ex India scribentem in Lusitaniam. Utinam explicare vobis aliquis posset beatitatem, quâ tum delibuta est anima mea cum amplexus sum P. Franciscum. Verùm ego quid aliud dicam ignoro, nisi frigidis admodum verbis , verè, verè, verè servus Dei est iste, & nunquam inveni similem illi. Sanè fratres non colloquio tantum , sed ore & conspectu ipso implet homines Deo serviendi desiderio tam suavi & odorifero, ut inenarrabile sit. Ejus os benedictione plenum est, nihil aliud nisi assiduè personat: *Laudetur Iesus Christus*, voce tam pia , ut colloquentibus sensum eundem insinuet. P. Petrus
Cani-

Canisius frequentabat similiter illud :
Laudetur Dominus Iesus.

S. Ignatius Societatem cuius Fundator fuit, non suo, sed Jesu nomine appellari voluit, Jesu amantissimus, quo in eam admissi assiduo, tanquam monitore excitentur illo nomine ut meminerint, cui se probare duci debeant, atque in omnibus laborent, sicut boni milites Christi Jesu. Idem Hierosolymam petiit ac redire eodem vovit cum primoribus sociis, nil nisi Jesum spirantibus. Idem frequentabat hanc orationem: Anima Christi, **Ecce.** B. Coleta & S. Liduvina obibat mente sacra loca hierosolymitana: potes tu cum illis obire stationes, tibi etiam in cubiculo præfixas, quasi hierosolymis esses aut olivetum viseres, aut Bethlehemiticum præsepium.

S. Thomas Aquinas qui seipsum superavit, scribens de Christo frequens habebat in ore maximè ad fiduciam magnam excitandam: *Verbum caro factum est.* Ga-

Gaspar Bonus Minimus ducenties
quotidie recitabat hanc orationem:
Adoramus te, quoniam tu solus
sanctus, tu solus Dominus, tu solus al-
tissimus Jesu Christe.

Jacoponus ingemiscens ob Christi
contemptum exclamabat interdum:
Amor non amatur.

B. Magdalena de Pazzi, gestans
manu crucifixum exclamabat? O
amor! ô amor! ô amor numquam de-
sistam vacare te amorem nostrum,
spem nostram, nostrum totum. Solita
cogitare de mysterio Incarnationis
vidit S. Augustinum inscribentem
cordi suo verba hæc: *Verbum aureis,
caro factum est, sanguineis litteris.*

Agnes Ordinis Minorum centies
quotidie recogitabat hæc verba: *Amor
meus crucifixus est.*

S. Francisco verè Christiformi fa-
miliaris hæc erat oratio: *Absorbeat ô
bone Iesu mentem meam ignita & melli-
fluavis amoris tui, ut amore amoris tui
moriar,*

*moriar, qui amore amoris mei dignatus es
mori.* Mira ejusdem fuit erga nomen
Jesu reverentia. Agnum aluit ipse,
ejusque imitator S. Franciscus de Pau-
la, ut typus Christi esset præ oculis.
Idem Christo nato mirifice addictus.
Idem hymnum de sole cum Christo
comparato composuerat, eumque mi-
rificum.

Recitare Rosarium Camaldulense
totidem globulis constans, quot Chri-
stus vixit annos, ad singulos oratio-
nem dominicam pronuntiando, men-
te versatis præcipuis Christi vitæ my-
steriis.

Recitare Rosarium amoris Jesu
contextum ex tribus decadibus. Et ad
grandiores quidem globulos loco
orationis Dominicæ audiat anima Je-
sum interrogantem, se sicut olim Pe-
trum interrogavit, *Amas me plus his,*
tum per singulos exiliores globulos
respondeat affectu, quanto poterit
maximo, etiam Domine diligo te

S

plus

plus terra, v.g. ad primum globulum, ad secundum plus cœlo, ad tertium plus amicis, &c. & ita gradatim ea quę charissima sunt postponendo, colloqui cum Christo, sicut cum amico. Ita Raymundus Lullus in dialogo amantis, & amati sua exprimit colloquia amatoria, sed maximè sponsa in Cantico Canticorum.

§. 3.

PLurimum valent raptim evibratæ ex intimis præcordiis oratiunculæ, quas jaculatorias vocant: habes in hoc opusculo sparsas plurima, quas tute colliges; hanc tibi familiarem velim ex ipsius Christi ore, eoque pretiosorem: *Pater clarifica filium tuum.*

Valent & plurimum actus omnigeni amoris, profero nonnullos ad exemplum.

Amor protestans. Diligo te Domine Jesu ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus meis.

En

Enamote Domine , & si parum est,
amem validius.

Amor eligens. Eligo te Jesu amabi-
lissime in æternum amoris mei obje-
ctum.

Amor complacentia. O Jesu dilecte
votorum meorum, gaudeo te gloria
& honore coronatum Dei esse filium
unigenitum, plenum gratiæ & veri-
tatis. Deus cordis mei, gratulor tibi
ob infinitas illas, tum divinæ, tum hu-
manæ naturæ perfectiones. Ex sigil-
latim enumerari poterunt.

Amor benevolentia. Omnis spiritus
laudet Dominum Jesum. Omnes san-
cti benedicant tibi.

Amor desiderans. Domine Jesu, quid
mihi est in cælo, & à te quid volui su-
per terram? &c. Veni Domine Jesu,
veni, Amen. Ostende Domine miseri-
cordiam tuam, & salutare tuum da
nobis. v. c. 2. 1. part. &c. 2. part.

Amor conformitatis & unionis. Do-
mine, quid me vis facere? Non

S 2

sicut

sicut ego volo , sed sicut tu.

Amor pœnitens. O amantissime Jesu, peccavi in cœlum & coram te , non sum dignus vocari frater tuus. O amor , ô amor , aiebat S. Theresia, numquam posthac , numquam posthac. Ante mihi contingat mori, quam tibi displicere.

Amor compatiens. Quis mihi det Domine Jesu, ut moriar pro te, Ego sum qui feci, ego inique egi.

Amor aspirans. Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi, &c. Desidero te millies, mi Jesu, quando venies ?

Amor appetians. Quis nos separabit à charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? Certus sum quia neque mors , neque vita poterunt, &c.

Amor zelans. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti verba tua inimici mei.

§. 4.

DEnique pia sunt pacta illa cum Christo, quæ ingeniosa excogitavit devotio. Ea sunt hujusmodi. Tecum ita conventum cupio Domine Jesu, ut quoties dixerō voce, vel nutu, vel mente sola *Adoro te Christe*, significatum à me intelligas desiderium adorandi te, quantum te adorant millia ministrantium tibi Angelorum & Sanctorum, quoties te adoravit Simeon Stylites aliique omnes militantis ac triumphantis Ecclesiæ verè adoratores tui, quantumque pertotam æternitatem adorabunt. Item quoties dixerō, quàm admirabilis es bone Jesu! volo intendoque cum Angelis ac Beatis suspicere infinitam majestatem tuam, bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, &c. & quantum illi admirari possunt in æternum. Similiter dictū puta de cæteris actibus & affectibus quos indico, tu eos facile intelliges ac promes latius. *Æstimo,*

§ 3

Ago

Ago gratias, Benedico, Commendo, Credo, Desidero, Doleo, Dono, Fido, Gaudeo, Glorifico, Gratulor, Humilior, Imitor, Languero, Laudo, Magnifico, Misereor, Obsecro, Offero, Peto, Queror, Resigno, Spero, Unio, Zelor. Cæterum nutus, quibus exprimi possunt tales affectus, sunt huiusmodi, aspirare, tollere sursum, aut in cœlum oculos, jungere suppliciter manus, osculari terram, elevare manus, genu flectere, inclinare caput, decussare brachia ad pectus, imponere dexteram cordi, tundere pectus (id quod si perfunctoriè fiat, Augustinus sæpe ait, non aliud esse quàm peccata sua pavimentare, hoc est obdurare cor) signum crucis imponere cordi, vel fronti, aut manui, spectare imaginem, vel osculari, vel tangere, &c.

Atque hæc de affectibus, universè erga Christum hæctenus.